



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1565**

Acta & scripta Lutheri, Anno Domini. M. D. XXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29789**

Cuius sane laboris gemina mihi ad te R.P. cau-  
sa fuit. Vna, vt scias, quanta sit eius in lingua pa-  
tria improbitas: Altera, vt adhuc semel scribas,  
non sane ad eum, sed ad Procere Imperij, ad  
nobilitatem Germaniæ, vt vel sero perpendant,  
quonam tendant omnes nouarum sectarum  
conatus &c.

*Acta & scripta Luthe-  
ri, Anno Domini.  
M.D. XXIX.*

**V**m autem è Nurenberga perue-  
nisset Dresdam exemplar episto-  
læ Lutheri ad Lincum scriptæ,  
cuius tenor recitatus est supra:  
Dux illustriss. Saxonie Georgi<sup>9</sup>,  
misit ad Lutherum illius copiam, sciscitans per  
litteras ab eo, an fateretur, eam epistolam à se  
scriptam ac datam. At Lutherus proterue respõ-  
dens & ambigue, petiit, vt Dux cū talibus sche-  
dis & literarum exemplis patientiam ipsius nõ  
tentet. Dux vbi ex responso Lutheri certior fie-  
ri non posset (Quandoquidem neque negabat,  
neque agnoscebat eam epistolam Lutherus) mi-  
sit quendam è Secretariis suis Nurenbergam  
ad Senatum: petens de epistola illa interrogari  
Vuenceslaum Lincū, an re vera ad ipsum à Lu-  
thero data fuerit. Ille autem interrogatus, Se-

*Epistola Lut.  
è Nurenberga  
Dresdam per  
uenit.*



*Calumnia  
Lut. in Ducē  
Georgium de  
fœdere.*

natui aperte confessus est, Lutheri esse epistolā. A se tamē quibusdam amicis communicatam fuisse, simplici animo & citra dolum malum, nō studio insimulandi aut offendendi, nec Ducem Georgium, nec quemuis alium. Quod autem exscripta latiusq; propagata fuerit, id factū esse incio se & inuito. Vidit ibi Secretarius per quēdam amicum ipsas literas Originales, quarum exemplum recepit: Quod Dresdam allatum, cum priore concordabat. Cum igitur iam certus esset Dux, eam epistolam à Luthero scriptā fuisse, & ab illo publicam quoq; nimisq; odiosam & suspicacem, immò plane assertiuā mentionem de fœdere Principum (quod seditiosum proditoriūque vocabat) in eo factam sciret libello, quem is contra Episcopum Misnēsem, de vtraque specie ædiderat: Purgauit & excusauit se bonus Princeps denuo per publicas literas de conficto illo fœdere, quod D. Otto Pak Hassiæ Lantgrauio primum suggererat. Idque fecit Dux multo exactius pluribusque rationibus, quàm fecerat prius ad Lantgrauium, tum propter iniquas suspiciones, quas pariebant scripta Lutheri: tum propter D. Pak, qui iam dudum crimine falsi multipliciter conuictus in Cassel fuerat. Operæ precium itaq; fuerit, quædam Principis verba, è Teuthonico in Latinum translata, hic recitare. Nos (inquit) certi de hoc sumus (Deo sit gloria) hoc omne, de quo in simulati sumus, manifestissimum mendacium esse, & neque Lutherum, neque quenquam se-

*Purgatio Ducis de illo fœdere.*

cta-



ctatorum eius, nullum vel leuissimū argumen-  
 tum proferre posse, è quo probabiliter conici,  
 estimari aut probari possit, nos his de rebus,  
 quas confictum hoc fœdus continet, vnquam  
 deliberasse, agitasse, aut omnino etiam cogitaf-  
 se. Nihilominus homo iste Euangelicus, tam  
 audax impudensque est, vt non dubitet tā splen-  
 didum mendacium, non solum ac si id auditum  
 haberet: sed præterquam quod omnes, quos  
 hoc commentum insimulauit, vna voce negā-  
 do sese purgarunt: tamen pro comperta etiam  
 veritate prædicare, ac in vulgus spargere, &  
 nominatim de nobis in hæc verba scribere.  
 Ducis Georgij frigidissimam excusationem  
 fere pro confessione interpretor. Quam  
 frigida fuerit excusatio nostra, ipsa verba in-  
 dicant. Nec adhuc videmus, qua vehementiore  
 ardentiorene pernegatione, talem accusatio-  
 nem reuellere debuissimus, Quod si tam frigi-  
 da, & consimilis confessioni fuisset, quam ar-  
 guit Lutherus, nunquam certe nomen Indicis  
 expressisset. Quapropter illa adhuc plus feruo-  
 ris habet, quàm Lutheri, Pak, & omnium alio-  
 rum accusatio & c.

Attulit deinde præter alias de falso & ficto  
 fœdere rationes, etiam ex ipso stylo & verborū  
 tenore Octo probationes, quibus ostendit au-  
 torem figmenti errasse, tum in titulis Principū,  
 tum in quibusdam aliis rebus. Quod autem Lu-  
 therus scripserat, se scientem scire, quod fœdus  
 illud non fuerit omnino nihil aut Chimera.

*Certe ratio-  
 nes, que pro-  
 bant fœdus  
 esse falsum &  
 confictum.*



Princeps pulchre in eū retorfit: Nempe, quod ideo sciens sciat, quia ipse forsità aliqua ex parte parauerit, aut consilium dederit, ad parādum tale commentum. A qua sane suspicione non vult eum liberum esse, nisi certæ suæ scientiæ probabiles afferat rationes. Scripsit igitur & Patrueli suo, Duci Ioanni, Principi Electori Saxonix, sub cuius vmbra & protectione Lutherus degebat, vt is saltem ex eo perquireret, vnde sciret, scedus illud non esse fictum. Sed neque per eam viam quicquam exquirere potuit. Cæterū Lutherus, velut crabro irritatus, ædidit Teuthonice libellum, cui titulum fecit. De priuatis & furto surreptis literis. In quo sane vsque adeo scurriliter ac petulanter in honestissimum Principem debacchatus est, vt etiam Lutheranis nō paucis displiceret tam indecora scurrilitas. Itaque Ioannes Cochlæus, indignitate eius rei motus, in Lutherum Teuthonice scripsit libellum. In quo præter mendacia, multos etiam lapsus Lutheri, tum in Psalmi expositione, tum circa linguam Hebraicam (quam olim Roma ex Helix Iudæi informatione degustauerat modicum) indicauit: inscribens eum Generosis ac Illustribus Principibus ac Dominis, Ioanni & Friderico, filiis Ducis Georgij. In cuius præfatione sic ait inter cætera. Et sane merito graue molestumque auditu est, hunc extreme malitiosum, & iam pridem condemnatum deploratūque & infamem Apostatam, sub potentissima laudatissimaque domo Saxonix tantum aude-

*Liber Lut. de  
priuatis Epi-  
stolis contra  
Ducem Geor-  
gium.  
Apologia  
Cochlæi pro  
Duce Geor-  
gij.*



ut quenquam bonum virum in ditione Saxonica degentem. Taceo tam inculpatum, ac omnibus modis laudatum Principem, tot mendaciis, scommatibus, conuitiis, & omnis generis iniuriis, palam coram toto mundo impetere atque exagitare sustineat, & obiter aspergere se ditiosa mendacia atq; maledicta, etiam de multis aliis Principibus, atq; adeo de negociis publicorum Imperij Conuentuum. Scribens videlicet, Vuormaciense Edictum (quo pro obstinato hæretico damnatus est) sine optimorum & summorum quorumque Imperij Ordinum consensu, promulgatum fuisse: Cum tamen Casarea Maiestas in eo ipso Edicto, palam testetur, id de sua & omnium sacri Imperij Electorum Principum, reliquorumque Ordinum tunc congregatorum, sententia & consilio factum esse. Et id quidem in eodem Edicto testetur ter, siquæ ter à Luthero mendacij arguatur. Cum igitur nemo nesciat, quam impudenter hic Monachus omnis generis mendacia, & simul multas vanissimas nugas, petulantissimaque scommata in scriptis suis congerere, inque iis nullius plane hominis rationem habere soleat, non aliter ac exercitatissimus aliquis scurra, aut ira incensa lana: Non est quod Celsitudines vestre illius contumeliis magnopere commoueatur. Quemadmodum nec Pater noster commouetur. Qui dicere solet, se non magis commoueri, si Lutherus sibi conuitium faciat, atq; olim commoueri solitus sit, cum sibi Morio suus, cui Pastori

*Contemnēda  
Lutheri con-  
uitia.*

*Septiceps  
Lutherus.*



nomen erat, conuictum fecisset &c. Adidit sub  
idem tēpus idē Cochleus Latine haud ita breuē  
librū, qui inscriptus est, Septiceps Lutherus. Quē  
ob duas potissimum causas ex diuersis Lutheri  
opusculis, tum Latinis tū Teuthonicis, in vnū  
collegit. Nempe & propter Concionatores Ca-  
tholicos, vt ij quouis proposito Themate, Lu-  
theranos facile per propria scripta Lutheri, ab-  
sque longæ disquisitionis labore ac tadio, re-  
probare atq; confundere possint. Et propter ex-  
ternas Nationes, vt viri Docti, linguam Germa-  
nicam non callentes, in futuro Concilio habe-  
rent breue compendium, ex quo intelligerent,  
qualia Teuthonice scripserit Lutherus, atq; eo  
facilius eum velut seruum nequam, de ore pro-  
prio iudicarent. In præfatione autem eius libri  
vbi admonuisset lectorem, quomodo eum li-  
brum eum fructu aliquo legeret, ita subiunxit,  
Cogita, quæso lector, quàm periculosum sit, illi  
firmiter adhærere, & ab illius parte stare, qui tā  
instabilis vbique est in seipso: Aut ei plus quàm  
toti Ecclesiæ credere, qui toties contradicit, &  
non credit sibi ipsi, ac sese proprio iudicio con-  
demnat, & mendacem reddit. Ipse quidem Sa-  
cramentariis Suermeris, nunc aduersariis, pau-  
lo ante dilectissimis fratellis, filiolisq; & aureis  
amiculis suis, triumphabundus obiicit, Ibi me-  
ra esse & mendacia & dæmonia, vbi tanta repe-  
riatur eorum de re vna diuersitas, vtpote circa  
Eucharistiæ Sacramentum. Quanto, obsecro,  
iustius nos id ipsum obiicimus ei: Qui cū sit in  
sub-

*Instabilis Lu-  
thero adhærē-  
dum non est.*



Substantia indiuiduū vnum, seipsum in septem  
 capita cōtrariis assertionibus diuisa? Multa qui  
 de peperit olim monstra Africa, sed mirabi-  
 liora nunc parit mōstra Germania. Quid enim  
 monstrosius, quàm in vno cucullo residere tot  
 capita, inter sese tam cōtraria atque dissimilia?  
 Quid ad hæc Ianus Bifrons? Quid Geryō Tri-  
 ceps? Quid Cerberus Trifaux? fabulæ sunt Poë-  
 tarū & iocosa figmenta. At Septiceps cucullus,  
 immò cucullatus Draco iste noster, nimiū vere  
 ac serio septem capitibus Germaniam confun-  
 dit, ac pessimis venenis lethaliter afflat atq; cor-  
 rumpit. Quis antea vidit, quæ so, tale vsquā por-  
 tentum? Mirum quidem est, & supra omnē sen-  
 sum atque intellectum sublime ac venerabile,  
 Maiestatéque plenum mysterium, quod in vna  
 Deitate sunt tres, & hi tres vnum sunt: Vnū in  
 substantia, tres in personis. At in vno vnus Lu-  
 theli cucullo sunt Septem, & hi septē non mo-  
 do vnum sunt in substantia, sed & vnus in per-  
 sona. Mira profecto Theologia, non modo Iu-  
 daeis & Gentibus, sed & Christianis prius inau-  
 dita. In veteri Christianismo multitudinis cre-  
 dentium, erat cor vnum & anima vna: In nouo  
 autem Euangelio Lutheri, disseccatur cor & ca-  
 ro vna in corda & capita multa: Vt nō solum di-  
 uersi diuersa sentiant, sed & vnus arroget sibi  
 sensus & capita multa. Nos quidem breuiter se-  
 ptem eliciamus, qui innite ac graui cum tædio  
 nauseâque Lutheri libros legimus. At si quis  
 plura in eis desideret siue monstra siue capi-

*Mirabile mō  
 strū Septiceps  
 Monachus.*



*Conuentus  
Imperialis  
Spiræ habitus*

ta, modo excutiat ac perlustretur paulo diligē-  
tius, inueniet procul dubio multa & plura &  
mirabilia: & ea quidem vsque adeo absurda,  
impia, blasphema, vt homo pius ac timoratus,  
neque lingua eloqui, neque mente cogitare at-  
que reuoluere sustineat. Fuit eo anno rursus  
Spiræ celebratus Conuentus Principum, alio-  
rumque Ordinum ac Statuum Sacri Rom. Im-  
perij, ex eisdem sane causis, ex quibus ante Triē-  
nium ibidem celebratus fuerat: nisi quod ma-  
ior necessitas maiorque pericula imminere vi-  
debantur. Nam & Turcarum Tyrannus poten-  
tior iam erat, subacta Vngaria, captaque Buda,  
quàm antea, & maiori cum exercitu in Germa-  
niam tendere dicebatur: & in religione Chri-  
stiana in dies magis ac magis gliscebatur dissen-  
sio, dum sectæ ita inualescerent, vt non solum  
Catholicis, sed & sibi ipsis inter sese formidabi-  
les essent. Zuingliana enim factio, & apud Hel-  
uetios, & apud plerasque vrbes Imperiales, Ar-  
gentinam, Constantiam, Vlmam, Augustâ &c.  
Lutheranorum sectæ iam præualebat, & Ana-  
baptistæ occultis per diuersa loca conspiratio-  
nibus, non minus vtrique sectæ, quàm ipsis Ca-  
tholicis de violenta eruptione ac terribili seui-  
tia suspecti erant. At tantum effectum est in  
eo Conuentu, quantum in priori. Rex Ferdinā-  
dus, qui & de occupata Vngaria dolebat, & de  
amittendis prouinciis auitis, Austria, Styria,  
Carinthia &c. anxie timebat: nulla potuit à se-  
ctis auxilia impetrare, nisi pacifice ac secure a-  
gere



gere in opinionibus suis eas petmitteret. Necessitate igitur cogente, consensit in publicum decretum, quo vnicuique, quantum ad fidem & religionem attineret, liceret sic agere ac statueret, ut de factis suis sciret & Deo & Cæsari rationem reddere, atque ita discessum est (soluto Conuentu). Philippus Melancton, quem Illustriss. Princeps Elector, Dux Saxonie Ioannes, secum Spiram adduxerat: duas scripsit Spirae epistolas, quas euulgauit. Vnam ad Regem Ferdinandum, cui titulum fecit. Præfatio in Daniælem: fuit tamen præfatio sine libro. Captata autem beneuolentia à laude tum ipsius Regis, tum aui eius Maximiliani Imperatoris, cœpit suum commendare Lutherum, atque in odium trahere scriptores Catholicos. Magno in odio (inquit) multorum sunt hoc tempore nonnulli, qui sacras literas pure tractant. Aduersus hos cum Sycophantem quidam vbiq; Principes concitent, nullum hoc tempore grauius est crimine, quam genuinam religionis doctrinam amplecti &c. Alteram ad Ioannem Oecolampadium, qui simul cum Zuinglio multis libris etiam aduersus Lutherum contendebat. A qua sane contentione eum, ut veterem amicum, dehortabatur. Rogo te (inquit) ut consideres, quantam rem, quamque periculosam susceperis. Verum illud est, nimium altercando amitti veritatem; atque hæc multo magis periclitatur in his tam violentis concertationibus. Video causam vestram præfidiis ingeniorum niti, & vos habere

Aa

*Epistola Duæ  
Phil. Melan.*



*Tumultus  
bellicus apud  
Heluetios pro  
pter discordiã  
in religione.*

*Articuli  
paci.*

stidia Theatri, non tantum manifesta, sed oc-  
cultata etiã, quã haud scio, an efficacius vobis suf-  
fragentur, quã manifesta &c. Erat autem apud  
Heluetios tam feruida atroxque contentio, de  
fide ac religione, per Zuinglium & Occolãpa-  
dium præcipue excitata, vt à verbis ad arma per-  
uentum sit. Tigurini enim seu Turegenses atque  
Bernenses, qui Zuinglianã sectã maxime adhi-  
cti erant, assumptis in auxilium Basiliensibus,  
aliisque non paucis populis Heluetiorũ, arma-  
ti processerunt in campum, aduersus quinque  
Cantones Catholicos, Lucernenses, Suitenses,  
Subsylvanos, Vrienses & Zugeses. Et magna  
vtique strages edita fuisset, nisi alij Cantones, nẽ-  
pe Glareani, Solathernij, Friburgenses, Schaf-  
husenses, & Appellenses, pro ineunda cõcor-  
dia vices suas interposuissent. Maiores erant vi-  
res Tigurinorum & Bernensium, proinde ma-  
gis ferociebant, atque ad pugnandum anhela-  
bant. Verum mediatores persuaserunt vtrique  
parti certas condiciones pacis, vt de cetero ne-  
mo ex vtraque parte propter religionem infe-  
staretur. Articuli pacis & concordie fuere per-  
multi, Catholicis minus æqui quã Zuing-  
lianis. Iussi sunt enim Catholici mox, antequã  
ẽ campo abirent, tradere in manus Sequestro-  
rum literas sigillatas fœderis, quod cum Rege  
Ferdinando inierant: vt ruptis sigillis scissisque  
membranis, fœdus illud prorsus emortuum ac  
irritum esset. Decretum est item, vt à Regibus  
& Principibus nulla deinceps munera aut sti-  
pen-



pendia vlli reciperent Heluetij, Vtque Bernē-  
 sibus Tigurinisque & eorum complicibus, pa-  
 cta sua inter sese inita, firma permanerent. Ne-  
 que ad restituendum quispiam teneretur, neque  
 in ius vocaretur, qui Imagines aut altaria de-  
 molitus fuisset, aut sacras vestes, aliāque Eccle-  
 siarum ornamenta rapuisset &c. Illustris Prin-  
 cept, Dominus Philippus, Hassiē Lantgravius,  
 egre, ferens inimicam illam inter Lutherum  
 Zuingliūmque & Oecolampadum contentio-  
 nem & discordiam, conuocauit eos in urbem  
 suam Marpurgū, vt ibi amica disceptatione  
 finiretur contentio. Conuenerunt quidem illi,  
 & multi complices eorum: Atq; vt aliquid effe-  
 cisse viderentur, conscripserunt ac adiderunt  
 aliquot articulos, in quibus cōtra Catholicam  
 Ecclesiam sentiebant inter sese, velut He-  
 rodes & Pilatus contra Christum. Verum in  
 Principali articulo, de Venerabili Sacramen-  
 to Eucharistiæ, de quō præcipue contende-  
 rant semper, hæsit ac permansit inter eos di-  
 scordia. Zuingliani circumferebant CCC. argu-  
 menta, quæ dicebant à Zuinglio fuisse obiecta  
 Luthero. Re igitur infecta discessum est.

Socius autem & amicus Lutheri, Ioannes  
 Agricola Illebiensis, Poëticus Theologus &  
 sacerdos, non vnctus ( vt ipsemet gloria-  
 tur) nec consecratus: vt in Catholicos ma-  
 ius constaret Germanicæ plebis odium, ad-  
 didit quædam Acta Concilij Constantien-  
 sis super Ioanne Hus Bohemo, qui vt hæreticus

Aa ij

*Disputatio  
 Marpurgensis  
 in Hassia.*

*Historia  
 Ioan. Hus  
 Teuthonice  
 aedita.*



ibi damnatus atque combustus fuit. Affirma-  
bat eam historiam (vt vocat) fuisse conscriptam  
Latine à nescio. quo autore, qui præfatis omnia  
viderit, audieritque & expertus sit. Et ad imita-  
tionem sancti Ioannis Apostoli & Euangelistæ  
subdit. Et scimus, quia verum est testimonium  
eius. Sic autem præfatur. Adeptus sum (in-  
quit) librum Latine scriptum, quomodo pro-  
bus ille amicus Dei, Ioannes Hus, Constantiæ  
propter doctrinam Euangelij, à Synagoga Chri-  
stij, combustus est. Repertus est autem in  
liber in Bibliotheca cuiusdam Doctoris Medi-  
cinæ, Pauli Rockenbach Citicensis, ac per bo-  
num amicum meum, Nicolaum Krompach,  
Teuthonice interpretatus. In quo sane repe-  
ries, quomodo Ioannes Hus, absque omni opo-  
& consolatione humana, solus contra maxi-  
mas duas potestates super terram, nempe Ca-  
sarem & Papam, contra sacros Ecclesiasticos  
Doctores, stetit ac vicit. Hæc ille Agricola. No-  
runtamen ea historia Lutheranis parum con-  
ducit. Nam eos articulos, quos ipsi maxime af-  
firmant, Ioannes Hus, & in Ecclesia Constian-  
tensi ante degradationem sui, & foris in cam-  
po circa supplicij sui locum, publice corâ om-  
nibus negasse refertur in historia illa. Non est  
igitur, quod de ea historia glorientur Luthera-  
ni. Sub idem tempus, cum immineret Ger-  
manicæ Turcarum Tyrannus, librum Teuthoni-  
cum ædidi Lutherus, cui titulum in scripsit. De  
bello contra Turcas. In quo sane ita suadet bel-  
landum

*Præfatio A-  
gricolæ Isl-  
tensis.*

*Liber Lut. de  
bello contra  
Turcas.*



landum esse contra Turcas, vt magis absterrere  
 ab eo bello Christianos videatur, quam ad il-  
 lud incitare. Etenim multis ibi verbis ac foliis  
 queritur, inique damnatum fuisse à Papa Leone  
 X. illum articulum suū. Præliari aduersus Tur-  
 cas, est repugnare Deo, visitanti iniquitates no-  
 stras per illos. Inter multa sane alia sic ait. Inter  
 rogetur rerum experientia, quam prosperum  
 nobis hactenus fuerit, bellum cum Turcis ge-  
 nere, quando tanquàm Christiani & sub nomi-  
 ne Christi pugnaumus, donec tandem Rho-  
 don totamque pene Vngariam, ad hæc multam  
 Germaniæ partem amisimus. Atque vt sentire  
 ac palpare possimus, Deum non esse nobiscum  
 ad bellandum contra Turcas: nunquàm adhuc  
 dedit Principibus nostris tatum animi aut spi-  
 ritus in mētem, vt vel semel potuerint serio de  
 Turcico tractare bello, quamuis plarique aut  
 pene omnes Conuentus Imperiales, eam ob  
 causam fuerint indicti ac celebrati. Nasquàm  
 enim vult res disponi aut concludi, vt appareat  
 Deum irridere Conuentus eiusmodi, ac sine-  
 re, vt Diabolus eos impediatur ac gubernet, do-  
 nec Turca opportuno tempore adrepat, Ger-  
 maniamque absque labore ac resistentia disper-  
 dat. Quare fit hoc? Propterea nimirum, vt meus  
 articulus, quem Leo Papa damnauit, indemna-  
 tus efficaxque permaneat &c.

Multis præterea propositionibus incesit &  
 criminatur atque calumniatur ibi, Papam, Im-  
 peratorem, Reges, Principes, Episcopos, maxi-  
 mos Principes.

Aa iij



*Collatio Pa-  
pa ad Turcā.*

*Hæc scanda-  
losa & nesa-  
ria dicta.*

me vero Curiam Romanā. E quibus CXXXVI  
extraxit Ioannes Cochläus, sed nimis longum  
foret omnes recensere: satis ergo fuerit, exem-  
pli causa, unam aut alteram referre. Cæsar (ini-  
quit) non est Caput Christianitatis, neque De-  
fensor Euangelii aut fidei. Oportet sane Eccle-  
siam fidemque aliam habere defensorem, qui  
Cæsar & Reges sunt. Isti enim sunt ferme pes-  
simi hostes Christianitatis & fidei, sicut N. S. S. S.  
secundus ait, & Ecclesia omni ex parte queri-  
tur. Item, si dixeris, Tam malus est Papa quam  
Turca, quemadmodum tu ipse eum vocas An-  
tichristum cum Ecclesiasticis & adhaerentibus  
suis. Et è conuerso, tam bonus est Turca quam  
Papa. Confiteretur enim Quatuor Euangelia  
Moylénque & Prophetas. Si ergo contra Tur-  
cam bellandum sit, & contra Papam quoque bel-  
landum erit, Respondeo, Negare non possum,  
Turcam tenere Quatuor Euangelia, tanquam  
diuina & recta, sicuti & Prophetas tenet. Multa  
præterea iactitat & Christum & matrem eius:  
Veruntamē credit suum Mahumetum esse su-  
pra Christum Sed Deus & Turcam & Papā si-  
mili percutit cæcitate, ut fiat eis, quod Paulus  
Ro. i. dicit de peccatis contra naturam. Tā cæci  
enim ac furiosi sunt ambo: Papatus & Turca, ut  
ambo committant peccata muta absq; pudore,  
velut rem honestam atq; laudabilem. Hæc & id  
genus multa, exprobrat ibi Luther<sup>o</sup> inuidiosissi-  
me per improbissimas calumnias omni Statui  
superiorum, Quapropter ædidi in eum Ioan-  
nes



nes Cochlaeus Dialogum quendam. In quo Lutherum Bicipitem facit, eò quod de bello Turcico per multas propositiones sibiipsis contrarias, in diuersis ædidit libris. Colloquantur autem ibi tres personæ, Orator Regis Ferdinandi, Lutherus & Palinodus per L. Capitula. In quorum Vndecimo sic habent. ORA. Lutherus tuus ait, Nos hæctenus nihil habuisse prosperum aduersus Turcam. Quo sane verbo auertere & abstertere cupit animos nostros, ne Turcis resistamus. Ait enim, Qui habet aures audiendi audiat, & à bello Turcico abstineat, donec nomen Papæ sub cælo valet. Quid autem hoc aliud est, quàm Patriam Turcis prodere, ac sua dete nobis, vt aduenienti aperiamus portas, dedamûsque nos ultro? P A L. Ad hoc præcipue mouit eum (vti mihi dixit) quod sub Christiana no proponebatur nomine bellum cõtra Turcam, Tanquam populus noster vocari deberet exercitus Christianorum, contra Turcas ceu contra hostes Christi. Quod est directe contra doctrinam noménque Christi. Contra doctrinam quidem, quæ dicit, Christianos non debere malo resistere, non bellare nõ contendere, non vindicare, nec litigare. Contra nomen vero ius est, Quod in eiusmodi exercitu vix quinque forsitan Christiani sunt, ac deteriores forte coram Deo homines, quàm Turcæ sunt: Et tamen omnes volût ferre nomén Christi. Quod sane omnium maximum est peccatû, quale Turcarû nemo facit. OR A. Siccine

Aa iij

*Dialogus Cochlaei de bello Turcico.*  
*In assertione art. 34.*

*In lib. de bello cõtra Turcas.*



*In lib. de Vifi-  
tatione Saxo-  
nica.*

*Rom. 13.*

*Gravis obsi-  
dio & oppu-  
gnatio Viennæ  
per Turcas.*

recantas Palinode? At longe fatius esset, aper-  
te dicere quod sentis, quam talibus fucis &  
ambagibus irretire populum. Certe tu ipse  
eiusmodi sermonem supra indicasti seditio-  
sum atque intolerabilem: Atque ex Paulo pro-  
basti, Magistratus nostros gladio belloque de-  
bere Turcas arcere, vimque à subditis propu-  
lare. Neque Christus prohibuit vsquam, immu-  
nitatem Tyrannidémque Turcicam repellere.  
Turcas vero esse hostes Christi, tu quoque con-  
fessus es supra ex ipsorum Alcorano. Et in fi-  
cto ipso id tam euidens est, ut in sanissimum si-  
mul & vanissimum sit negare. Cæterum annus  
iste maxime insignis memorabilisque fuit, &  
Turcico bello in Austria, obsidionéque Vien-  
nensi, & Cæsaris nostri CAROLI V. Augu-  
sti profectioe prima in Italiam, eiusque co-  
ronatione à Ro. Pontifice Clemente VI I. Bo-  
noniæ facta. Etenim Turcarum Tyrannus, So-  
limanus, vastata Vngaria, Viennam, Austria Ca-  
put, venit Die XXI. Septembris: habens in ex-  
ercitu suo CCCC. Millia militum, circumdans  
urbem XVI. castris per circuitum, quæ ad Tria  
aut Quatuor Miliaria extendebantur: occupas  
præterea & pontem Danubij & suburbia. Cuius-  
bus & præsidio militum nihil relinquebat præ-  
ter urbem. Iussi fuerant urbem excedere Mulie-  
res, pueri, sacerdotes, Monachi & omnis im-  
bellis turba, quæ magna ex parte in manus ho-  
stium incidit, apud quos summa crudelitas, nul-  
la erat misericordia. Infantes disseuerunt me-  
dicos:



ditos: Mulieres ac senes, quos in seruitutē abdu-  
cere nolebant, perfoderunt palis, transfixerunt  
veribus, disciderunt gladiis. Fecerunt præterea  
longissimas excursiones ad X. aut XII. Miliaria  
Germanica, omnia vastantes, nulli parcentes  
ordini, sexui aut ætati. Rex Ferdinandus fortis-  
simo munierat urbem præsidio. In quo sane le-  
tissimi erant milites, quorum supremus Capi-  
taneus erat Illustrissimus Dux Bauariæ, Rheni-  
que Palatinus, PHILIPPVS. Inuexerat præ-  
terea tormēta bellica maxima & optima quæ-  
que, quorum præcia vix duo regna (vbi nonnulli  
dicunt) æquare possent. Hostes qui Bombardas  
magnas non aduexerant (quia urbem subito oc-  
cupare intendebant præueniendo imparatos)  
maxima vbi præsidioque pericula intentabāt  
cuniculis antrisq; subterraneis, quibus urbem  
velut pensile faciebant, & imposito puluere tor-  
mentario, eoque incenso, terribilissimis frago-  
ribus rupturisq; muros demoliebātur. Vrbe ma-  
gna ex parte muris nudata, fecerūt creberrimas  
oppugnationes, sed inuictū præsidij robur sem-  
per cum damno eos repulit: adeo, vt Turcæ tã-  
dem, quamuis saltibus gladiisque à suo Tyrano  
ad oppugnandum adigerentur, statim tamē  
retrocesserint. Interea Rex Ferdinandus,  
qui in oppido Lintz, velut in specula, ad Danu-  
bium morabatur, magna vndique conciebat au-  
xilia, vt obsessis opem ferret, quorū magna pars  
in prociectu iam erat. Quod vbi animaduertit  
Turca, soluit obsidionē incensis castris suis die



*Falsus & gloriosus transitus Caesaris nostri in Italiam ex Hispaniis.*

XVI. Octobris, & inglorius Constantinopolim reuersus est, magnis acceptis in terris & aquis per inedia & frigora incommodis, non solum in rebus & machinis, sed etiam in hominibus Camelisque & equis. At Piissimus Caesar noster CAROLVS longe optatius, foelicius, gloriosiusque in Italiam ex Hispaniis nauigauit. Non exegit à subditis violenter pecunias, uti Turca à suis per omnes prouincias exegerat: sed tanta erat Hispanorum erga eum dilectio, ut offerrent vltro longe plures, & milites & pecunias, quam alius videri minisque extorqueri potuisset. Etenim viri Mille Quingenti, sua sponte obtulerunt suae Maiestati singuli Milenos Ducatos aureos in Quatuor annos, absque omni interesse (ut vocant) aut lucro. Multi ex Principibus obtulerunt: Vnus C. equites, CCC. pedites: Alius plures, alius pauciores, quos die & anno suis impensis & stipendiis Caesari militare ac seruire iusserunt. Priusquam vero ex Hispaniis Caesar abiret, Rex Francie per mulieres, per matrem scilicet suam, & per amitam Caesaris, pacem & concordiam ab eo impetrauit, relicta tota Italia, numeratisque pro filiorum liberatione, qui vice sua obsides & captiuitenebantur in Hispaniis, Vices Centenis Millibus aureorum. Vbi vero in Italiam Caesar peruenit, totam aduentu suo pacatam reddidit, excepta vna vrbe Florencia, quae reiecto Caesaris arbitrio, nolebat ad instantiam Papae, in clytam familiam de Medicis in urbem recipere, quam violenter expu-



expulerat. Propter eam igitur contumaciã Cæsariani Milites urbem illam obsederunt, & post grauissima incommoda ad deditiõnem cõpulerunt. Recepto autem in gratiam Francisco Sfortia, Duce Mediolani, per intercessionem Ro. Pontificis, eoque in Ducatum illum restituito: geminam à summo Pontifice coronam, prius ferream, deinde auream, Bononiæ cõsuetis Cæremoniis, magna cum laude, gloria, triumpho, omniumque gratia & lætitia suscepit.

Germanis autẽ fuit annus ille grauis & molestus, non solũ à metu & periculo belli Turcici, & à sectarum importunis contentiõibus: Verum etiam à duobus malis fatalibus. Quorũ alterum fames erat, & omnium rerum penuria, quanta in hominum memoria nunquam fuerat: Alterum pestis quædam, quæ sudor Anglicanus dicebatur. Malum sane adeo vehemens & lethale, vt intra XXXIII. horas homini sano vitam eriperet, nisi diligentissima cura sudorem illum quibuslibet fomentis euinceret. Non erat ea pestis Germanis prius cognita itaque obierunt multi, priusquam Medici curandi modum adinuenerint. Vinum vero ita fuit acerbũ eo anno, vt præ acredine sua, bibi nõ facile posset, adeoque vile ac insipidum cum tempore factum est, vt neque acetum ex eo fieret, sed ad omnia profus inutile, in vanum effundebatur.

*Gravis annus apud Germanos.*